

tario. ¶ Et debeat recipi per ipsum notarium pro qualibet excusa cuiuslibet proclamati in excusis sex par. tantum, et pro omni teste quatuor par. ¶ Item et sex par. pro quolibet capitulo, et duos par. pro quolibet dicto testis, et de copia
 5 cuiuslibet acuse inventionis vel inquisitionis unum sold. et pro termino et securitate sex par. ¶ Item scribere debeat notarius quamcunque personam vendere volentes vinum in taberna, pro quanto precio et in quo loco, etiam pena centum sold. par., pro qua scriptura habere debeat unum soldum a
 10 qualibet dictarum personarum.

Cap. XVIII. Rubrica de electione extimatorum et eorum notario.

S tatuimus quod iudices sive rectores introitu sui regiminis, videlicet prima die, congregari fatiant maius conscilium,
 15 in quo vero consilio dentur quatuor breves pro quatuor extimatoribus eligendis, et tria brevia pro tribus notariis eorum eligendis, et cum fuerint electi ipsi quatuor extimatores, tunc huiusmodi balotentur ad piscides et balotas, et illi duo qui optinebunt per maiorem partem maioris consilii sint firmi extimatores
 20 pro quatuor mensibus sequentibus. ¶ Et esse debeant dicti extimatores etatis triginta annorum et ultra et aliter eligi et esse non possint. ¶ Et ipsi notarii tres sic electi balotentur unus contra alium in dicto maiori consilio ad piscides cum balotis, et ille qui optinebit per maiorem partem maioris consilii sit firmus notarius et duret in dicto offitio per quatuor
 25 menses sequentes, et dictus notarius vacare debeat a dicto offitio tantum per unum annum ab exitu sui offitii. ¶ Sed quodlibet aliud offitium habere possit a dicto exitu sui offitii in antea, si fuerit electus // et confirmatus. ¶ Et ipsi extimatores et eorum
 30 notarius ipsis existentibus in dicto offitio aliud offitium habere non possint, de quo percipiatur ¹⁾ salarium de camera comunis, et quilibet possit eligi notarius extimatorum non habens offitium, non obstante aliquod offitium quod habuisset. ¶ Ipsi

36 A

¹⁾ precipiatur.